Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QUÆSTIO MEDICA

## Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 19. Decembris.

M. JACOBO DES PREZ, Doctore Medico, Præside.

*An alia à spiritibus in corpore fermenta?*

OBSCURUM licet atque obsoletum apud medicos fermenti vocabulum, suis tamen è tenebris non ita pridèm prosiliens, apud nuperrimos scriptores gratiam invênit; & fermentationis historiam inter physiologos in disputationem adduxit. Eorum nonnulli, ut supra cæteros sapere viderentur, multis sæculis comprobatam de spiritibus atque humoribus doctrinam ad fermenta transtulére. At quæ apud illos serpit opinio, an exquisitioris sermonis ostentatio? an novi dogmatis assertio audiat? Si primum: habes fermenta cum spiritibus synonyma; si postremum: Quem non lædit illa doctrina, quæ calidi innati vices evertens, nascendi, vivendi, & moriendi leges à fermentis deduci asseverat? Suis reddantur authoribus obscuriores illæ fermentorum assertiones, si ad perscrutanda vitæ munia, spirituum atque humorum azyma consideratio satis fuerit: Aut si quæ in nobis fermenta esse dicenda sint, illa à spiritibus haud distincta fuerint.

QUID sit fermentum ab illius assertoribus nullibì statuitur. Alii spiritum, alii corpus, alii utriusque vinculum; alii salinum, alii sulphureum dicunt. Ixionis instar nubem pro corpore consectari dicatur, qui per ejusmodi tenebras, veritatis amplexus meditatus fuerit. Intestina motio sponte vel arte excitata, ex novatorum mente, fermenti actionem prodit. Quorsùm hæc? an aliundè quam à spiritibus spontanei in nobis motus cientur? ut nusquam absque motu vita persistit, sic absque spiritibus nullus est in vivente motus. At si aliquâ segnitie detenti spiritus arte fuerint excitandi, in promptu erunt quamplurima artis medicæ præsidia quæ fermenti nomine nusquam donantur. Nullo humorum vitio præpediti spiritus sibi satis sunt ut se moveant; sanguinis verò copiâ oppressi, vacuantibus expediuntur; crassiore succo irretiti, attenuantibus extricantur; (ut in ipsâ etiam pistorum pastâ à fermento attenuatâ fieri consuevit;) veneno infecti, antidotis curantur; mœrentis animi pathemate constricti, exhilarati recreantur; syncope correpti, cardiacis excitantur: Quocunque tandem morbo prostrati fuerint, ni medicinæ præsidiis juventur frustrà ab insitis fermentis subsidium erit expectandum: sibi autem si fuerint redditi & ad suos motus expeditiores facti, sanitatem omnibus numeris absolvunt. Quid plura? an fermento vis perficiendi tribuenda venit? habent spiritus omnem promovendæ perfectionis energiam. An corrumpendi? illa à superfluis & excrementitiis humoribus putrescentibus, igneasque particulas præfocantibus tota exoritur.

SUBTILES illæ & summe agiles particulæ quæ in primâ conformatione utriusque seminis & materni sanguinis materiam diducunt, diductamque sicci & humidi multiplici attemperatione componunt, spiritus audiunt. Substantiâ quales sunt si quæsieris, præsto erit Hippocrati adscripta sententia, juxtà quam spiritus ritè dicitur ψυχὴ πυρὸς καὶ ὕδατος ξύγκρησιν ἔχουσα; adde si libuerit: tepens non urens vitæ flammula: caloris innati mollior focus. Igneam spirituum naturam calentis cordis arteriarumque subsultus indicant: humidam verò intimum cum humido primigenio conjugium evincit. Tamdiu vivit insitus ignis quamdiu humidus; suo verò cum pabulo arescens interit. Quid autem igne mobilius? ipso quid actuosius? aut ad exequenda vitæ munia promptius? eâ sanè motûs præstantiâ cientur caloris innati vectores spiritus animæ ministri, ut ab illorum concursu mutuoque ad οὐλομελίην confluxu citrà ulliûs fermenti consortium functionum omnium spiret integritas. Ex corde tanquam vitæ solio eas functiones moderantur, quas vitales an naturales dixeris perinde est. Ex palladis arce sensus & motus vices dispensant. Primas etiàm ortûs nostri scintillas æstu non injucundo elatas & gestientes, absque fermentis micare ne dubites. Haud secûs ac flamma flammam accendit, sic in libidinoso complexu cupidinis faces accensæ utriusque seminis igniculos suscitant & ad sua munia alacriùs stimulant. Fœmineum semen humidissimum magis diluendis, atque extricandis sicci oribus & spissiore sinu coërciti masculi ignis atomis à naturâ fuisse institutum si quis negaverit, veritati seipsam prodenti tenebras offundit.

TANTI sunt ad vitam momenti spiritus ut brevioris aut diuturnioris ævi periodum veluti circumscribant. Vivacior ille cui à primo ortu uberrima spirituum copia contigit; præstantioribus micat muniis anima, cui splendidiores, nitidioresque spiritus famulantur. Ut per ipsos vita tribuitur, ità & conservatur. Cibos solvunt atterunt, digerunt. Non quidem febrili & distensivâ fermentatione, sed tacitâ & lentâ alteratione succos alibiles placidè immutante atque assimilante. Assimilationem prohibet nimia spirituum concitatio aut eorumdem obstructio. Eamdem promovet & absolvit insiti caloris vis opulentior. Proh quam ingeniosa nutritionis industria, ad cujus leges contrarium contrario alitur, dum igneæ naturæ spiritus humido pabulo saturantur: simile autem simili nutritur, dum spiritus quod sibi magis analogum & familiare ex cibis proliciunt atque utile ab inutili, ingenito quodam motu secernunt. Tot muniorum fœcundos insiti caloris igniculos à focorum igne cuncta diruente & depopulante qui non distinxerit, an focorum ignem vivere dixerit? vivit sanè insitus ignis, nec quia anima recedit ille extinguitur, sed illo extincto commigrat anima cœlum petitura.

BLANDIORA sunt spirituum munia, benignioresque eorumdem influxus, quam ut ullo fermenti æstro, aut fermentatione functionum integritati semper infestâ promoveri dicantur. Fabulam narrat qui calidi innati foco fermentum gratis affingit. Insitam cordi diviniorem auram febrilis æstus vitio inquihat qui ipsam in corde debacchari spumantisque musti effervescentias agere contendit. Liquidi subsultant in arteriis igniculi, non quia fermento conciti, sed quia tenuioris sanguinis compage minùs cohibiti sese liberiùs explicant. Hinc pulsus in pueris mollior & citior; in adultis vehementior, cum celeritatis tamen perindè ac humoris imminutione; in senibus durior & tardior. Nulla omnino pars quæ ad sui muneris integritatem insito fermento à spiritu distincto indigeat. In ipso utero benè affecto sanguis copiâ turgens, aut diuturniori caloris actione citrà fermentum acrior factus vasa reserat uterique fibras ad excretionem stimulat.

*Ergo non alia à spiritibus in corpore fermenta.*



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Philippus Tourbier.*
*M. Iacobus des Prez, Præses.*
*M. Iacobus de Bourges.*
*M. Petrus Legier.*
*M. Franciscus Sorand.*
*M. Nicolaus Rainssant.*
*M. Carolus de Laval.*
*M. Dionysius Dodart.*
*M. Dionysius Puylon.*

Proponebat Parisiis FRANCISCUS MAILLARD, Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1680.